

Sol 20. Sagittarij gradum possidet: deinde multiplico hos gradus 73. distantiam uis
delicet prædictam per 15. miliaria alemanica communia, & proueniunt 1095 milia
ria itineris terrestris.

Distantiam Solis & stellarum à Meridiano doctè perscrutati.

CAPVT XXX.



One gradum mediij coeli tuæ figuræ propositæ subtus armillam meri
dianam, & apparebit sub eadem inter gradus æquatoris ascensio eius
recta, serua eam ad partem; deinde uolue globum, donec locus Solis, uel
stellæ in Zodiaco, uel extra tuæ figuræ propositæ sub eandem armillam
meridianam ceciderit, & uidebis ascensionem eius quoq; rectam sub eadem armilla.
Subtrahe nunc ascensionem rectã mediij coeli ab ascensione recta Solis uel stellæ, si lo
cus Solis uel stellæ fuerit in quarta orientali supra horizontem. Vel subtrahe ascensi
onẽ rectam Solis uel stellæ ab ascensione recta mediij coeli, si idem locus Solis uel stel
læ fuerit in quarta occidentali supra horizontem, & residuum distantiam Solis, stella
rũ, uel gradus Zodiaci à meridiano quæsita patefaciet. Huius rei tale sume exemplũ:
Sit 20. grad. Sagittarij medium coeli, cuius ascensio recta est graduum. 259. Sit nunc
locus Solis 10. Aquarij, cuius ascensio recta est graduum 312 $\frac{1}{2}$ ferè. Subtrahe igitur
ascensionem rectam mediij coeli ab ascensione recta Solis, remanebunt gradus 53 $\frac{1}{2}$.
distantia Solis à meridiano. Pari exemplo in stellarum locis, siue in Zodiaco, siue ex
tra eisdem constitutis utare.

Cognita una stella fixa in firmamento, quæ in corpore solido
posita est, per eam omnes alias in eodem corpore posi
tas, & tibi in firmamento ignotas cognoscere.

CAPVT XXXI.



Acipito per quadrantem, aut aliquod aliud instrumentum altitudinem
stellæ tibi notæ, & considera in qua parte coeli, orientali scilicet uel occi
dentali, septentrionali uel meridiana sita sit, & uolue globum ad ean
dem partem, eo tamen antea iuxta lineam meridianam, ac iuxta poli
elevationem tuæ regionis situato, ita quòd altitudo eius stellæ tantam
atingat altitudinem in quarta altitudinum, quantam per quadrantem accepisti. Quo
facto recipe stellam tibi ignotam, in corpore tamen solido positam, cuius altitudi
nem cõsidera, ac partem mundi, in quam ceciderit, & super parem huic altitudinem
pone perpendiculum quadrantis, uel lineam fiduciæ, uertendo te uersus eandem
mundi plagam, super quam cadebat stella, & quamcunq; stellam tunc per foramina
pinnularum uideris, ipsa erit quam quæris, & talem operationem facere potes cum
omnibus stellis in corpore solido positis, & earum claram noticiam aucupaberis, &
si diligenter plagam & situm stellæ aspexeris, etiam sine omni altitudine eius cogni
tionem habere poteris.

Arcum diurnum atq; nocturnum cuiuscunq; puncti eclipticæ
uel loci Solis, aut stellæ cuiusuis dimetiri.

CAPVT XXXII.

Loca